

illum Hercule qui prisca ætate fuit, cum homines infestaretur à beluarū mul-
 titudine, in Aegypto præsertim, cuius nunc quoque regiones desertæ sunt, &
 feris immanibus plenæ. Huius uerisimile est, ueluti patriæ misertū Hercule,
 eiusmodi feris occisis eam reddidisse hominibus colendam: eoque beneficio
 cœlestium honore donatum. Ferunt insuper Perseum in Aegypto natum,
 atque Isidis genus à Græcis ad Argos referri, fabulantes lo in boue fuisse mu-
 tatam. Sed uana est de his dijs opinio. Nam quidam Isidem, alij Cererem, qui-
 dam Theosophoran, alij Lunam, nonnulli lunonem, alij alio nomine appel-
 lant. Osiris uerò tum Serapis dicitur, tum Dionysius, tum Pluto, tum Am-
 mon, tum Iupiter. Alij Pana eundem uocant. Multi existimant Serapin esse,
 quem Græci Plutonem putant. Afferunt autem Aegyptij, Isidem plurimum
 inuentricem ad morbos medicamentorum, & medicinæ arti admodum con-
 tulisse, eamque immortalitate quoque potitam gaudere hominum cultu, inque
 eorum ualitudine præcipue uersari. Quinetiam in somnis opiculatur palam
 eis quos censuræ dignos, tum ostendens suum numen, tum erga gentes cu-
 randas beneficentiam. Signa horum esse dicunt non Græcas fabellas, sed o-
 pera certa. Omnis enim ferme orbis hanc deam colit propter manifestas eius
 morborum curas. Etenim in somnis illam dicunt non recte ualentium mor-
 bis auxilia præbere. Et qui eius monitis obtemperant, præter opinionem cu-
 rari, etiam quorum medici salutem desperarint. Visu quoque aut alia qua-
 piam corporis parte debiles, eius deæ numen implorantes, in pristinam ua-
 litudinem restituuntur. Ab ea quoque medelam ad allequendam immorta-
 litatem aiunt esse inuentam. Itaque Orum filium à Titanis insidijs interfectū,
 ac per aquam reperiū, non solum in lucem restituit, sed & fecit immortalem.
 Videtur autem ultimus iste deorum regnasse, postquam pater Osiris fuit ad
 deos translatus. Orum dicunt Apollinem interpretari, ac medendi diuinan-
 dique artem à matre Iside edoctū, multum hominibus tum oraculis tum mede-
 lis attulisse utilitatis. Aegyptij sacerdotes à Solis regno usque ad Alexandri tem-
 pus, quo in Asiam transcendit, annos computant ferè mille & uiginti. Fabu-
 latur quoque, priscos illos deos regnasse annis amplius mille & ducētis, poste-
 riores uerò non minus trecentis. Et cum annorū numerus fide carere uidea-
 tur, conantur quidam, cum apud antiquiores nondū Solis motus notus es-
 set, ad lunæ cursum annum metiri. Ita cum annus triginta diebus conficeret,
 haud impossibile esse, quosdam annos mille ducentos uixisse. Si quidē nunc,
 cum duodecim conficiatur mensibus, plures centesimum excedunt annum.
 Similiter & de his accidit, quos aiunt trecentos regnasse annos. Illi enim tunc
 mensibus annum conficiebant secundum tria eius tempora, ætatem uideli-
 cet, uer, ac hyemem: quæ causa fuit ut quidam Græci annos, sicut partē eius
 uocarent horas, annuas uerò scripturas aduersaria. Scribunt insuper Aegy-
 ptij, Isidis ætate uasto fuisse corpore homines, quos Gigantes Græci dixere,
 sacerdotes Aegyptij monstra quædam, ab Osiride postmodum deuictos.
 Sunt qui hos existimant è terra genitos, recenti adhuc prima animantiū ge-
 neratione. Alij robore corporis cæteris ualidiores, cum multa præclara edi-
 didissent opera, Gigantum nomen casu sortitos affirmant. Multi existimant,
 cum Ioui, Osiridique dijs bellū intulissent, omnes peremptos fuisse. lege quo-
 que Aegyptij præter communem cæterorum hominum morem sanxere, fas
 esse sorore à fratre uxorem capi: exemplo Isidis moti, quæ fratri Osiridi nu-
 psisset: eoque mortuo & iurasset illa amplius non nubere, & uiri mortem ultra,
 iusto imperio regnasset, plurimū etiam de genere hominū suis in eos benefi-
 cijs merita. His de causis plus honoris ac dignitatis reginæ que regi impendit.
 In priuatis quoque mulier uiro dominari dicit, profitentibus in dotis cōsecutio-
 ne uiris omnib. esse uxoris arbitrio parendū. Haud uerò inscius sum, à nonnul-
 lis scriptorib. tradi horū deorū sepulchra in Nysa Arabia sita: à qua Nysæum
 Dicitur

Isis lunares